Quelle: https://manuscripta.at/?ID=6987
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

meretrix sepelienda est viua Salomo femina
est gaudium diei solacium noctis laboris allevia
cio Ad hec Marcolfus ait Verum dixit quod dixit
quod in corde hoc in ore Multum amas feminas
et ideo laudas eas bene facis quia non debes exprimere
quod ad os debes ponere divitie nobilitas pul
critudo ac sapientia tua bene concordat tibi ad amores
mulierum Sed dico tibi quia qui nunc laudas eas
antequam dormias vituperabis illas Cui Salomon
ait Mentiris certe quia cunctis diebus vite mee
mulieres amavi et amabo Sed nunc discede et vide
ne amplius in conspectu meo mala loquaris de
muliere

Cap^m 8.

Tunc ipse Marcolfus de pallacio regis
exiuit et vocauit ad se meretricem
illam cui redditus fuerat puer et filius
viuus et dixit ad eam Scis quid sit actum in cu
ria regis Salomonis Et illa respondit Filius meus
hodie est michi concessus et quid postea factum
fuerit prohorsus ignoro Cui Mar. Penitet
regem tibi hodie reddidisse filium tuum viuum et
non diuisisse. Unde precepit ut crastina die vene
ris tu et socia tua et dabitur illi media pars
filii tui Ad hec meretrix ait O quam malus rex
et quam praue sententie eius Cui Marcolfus
adhuc grauiora et deteriora dicam tibi Nam
rex et omnes consiliarii eius statuerunt ut unus
quisque homo septem accipiat uxores ut cum
aduertat quid eis faciendum sit Si enim unus